



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXI. Explicantur aliæ duæ ex Euangelio S. Ioannis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

ostendit, Petrum fore principem, & caput fratrum suorum. Sic enim exponunt Græci, & Latini: THEOPHYLACTUS in hunc locum: *Quia te habeo, inquit, & principem discipulorum, postquam negato me fleueris, confirma ceteros. hoc enim te decet, qui post me Ecclesia petra es, & fundamentum.* LEO ferm. 3. de anniuersario assumptionis suæ ad Pontific. *Pro fide Petri, inquit, propriè supplicatur tanquam aliorum statum certior sit futurus, si mens principis uicta non fuerit.*

NONA est, quod Christus resurgens primum omnium et Apostolis Petro se videndum præbuerit. colligitur id ex illis uerbis Luc. 24. *Surrexit Dominus uerè & apparuit Simoni.* Vbi notat Ambrosius, Simoni omnium primò Christum apparuisse ex uiris. Nam antè Mariæ Magdalenæ apparuerat, ut scribit Marc. cap. vlt. colligitur hoc idem & quidem apertè simè ex uerbis S. Pauli, I. Cor. 15. *Tradidi, inquit, uobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est, & qui sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, & quia uisus est Cepha, & post hoc undecim: deinde uisus est plusquam quingentis fratribus: deinde uisus est Iacobi, deinde Apostolis omnibus, nouissimò autem omnium tanquam abortiuo uisus est & mihi.* In quem locum CHRYSOSTOMUS: *Itaque, inquit, non omnibus initio uisus est, nec pluribus simul, sed uni tantum, & ei principi, & fide maxime digno.* Et infra: *Itaque, inquit, Petro primum apparet. nam quod Christum primus confessus erat, non ab re primus etiam resurgentem uidet.* Similia habet Theophylactus in hunc locum.

CAPVT. XXI.

Explicantur alia duæ ex Euangelio sancti Ioannis.

DE CIMA est, quod Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lauit, ut exponit Augustinus in cap. 13. Ioannis. Et quanquam Chrysostomus, & Theophylactus in eundem locum putant primum fuisse Iudam, secundum Petrum, tamen etiam ipsi ex hoc loco colligunt primatum Petri. Dicunt enim nullum alium præter Iudam passurum fuisse, ut sibi ante principem Apostolorum

rum pedes lauarētur: Iudam autem impudenter ante Petrum se constituisse. At nihilominus probabilior Augustini sententia esse videtur.

VNDECIMA est Ioan. 21. vbi Petro soli mortem Christus prædixit, & mortem crucis, vt sicut ei nomen suum donauerat, & officium suum imposuerat, ita & in morte socium illum haberet: *Cum senueris, inquit Dominus, extendens manus tuas & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, addit Euangelista: significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Deinde ibidem subiungit Dominus loquens ad Petrum, *Sequere me.* quæ verba quidam accipiunt de officio pastoralis; vt Theophylactus qui exponit, sequere me, qui educo te ad prædicandum, & totum orbem in manus tuas trado. Alij accipiunt de similitudine mortis, vt Euthymius, qui exponit, sequere me, id est, crucem patiendo me imitare.

Sed plenus commentarius erit, si vtramque sententiam coniungamus. Cùm enim Dominus oues Petro commendasset, & mortis genus prædixisset, quasi concludens omnia vno verbo ait: *Sequere me,* id est, esto id quod fui & viuens & moriens, age pastorem animarum dum viuus, & postea per crucis mortem transi de hoc mundo ad Patrem. Et ne suspicaremur hæc dici omnibus, disertè Dominus excludit Ioan- nem, qui tunc corporaliter sequebatur: *Sic eum, inquit, volo manere, quid ad te? tu sequere me.*

CAPVT XXII.

Explicantur alie nouem prærogatiua ex Actis Apostolorum, & epistola ad Galatas.

DVODECIMA prærogatiua est Actor. i. vbi Petrus tanquam paterfamilias colligit in vnum cœtum discipulorum, & vnum eligendum esse docet in locum Iudæ. In quem locum CHRYSOSTOMVS: *Quam, inquit, agnoscit Petrus commissum sibi gregem? quam in hoc choro princeps est?* OECUMENIVS, *Surgit, inquit, Petrus, non Iacobus, vt is cui presidentia discipulorum commissa erat. Neq; illius orationi Petri contradixit, sed mox ad eius*

eius